



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Penès quid certi reddamur, quòd Deus nobis dimiserit debita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452


iustitiam eius, id est, fidem, timorem, & dilectionem Dei & proximi: nam sic quærentibus promisit Deus regnum æternum, ergò adiciet & terrena. Proue. 10. Non occidet Dominus fame animã iusti: & vult Christus, vt homo fidelis cor suũ extendat in totam Christianitatem, & petat pro tota cõgregatione omnium hominum, vt Deus verbo suo & pane quotidiano nos pascere dignetur: nam vt inquit Chrysostomus, qui pro tota Christianitate petit, pro illo etiã petit tota Christianitas: & quandò oras pro tota Christianitate, etiam pro te oras. Delectatur enim Deus potius audire totam congregationem quàm singularẽ Pharisæum. Matth. 18. vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo. Ita qui cum communitate cantat, benè cantat, etiamsi vox mala sit, sed qui solus cantat, non manebit sine iudicio.

DE DIMISSIONE DEBITO-
rum coram Deo & proximo.

CAP. XXX.

ARGUMENTA.

1. *Penes quid certi reddamur, quòd Deus nobis dimiserit debita.*
2. *Cur petamus nobis dimitti debita, iuxta Mattheum, & non peccata.*
3. *Quòd nulla oratio exauditur, nec sacrificium aut opus Deo placet, vbi retinetur inuidia.*

1.  Hristus promisit, & verbum ipsius est, Matth. 6. Quandò dimiseritis hominibus peccata eorũ, tunc pater vester cælestis cõdonabit & debita vestra: sin autem, &c. Ecce hæc est promissio, si dimiserimus alijs, & nostra nobis dimittẽtur: si verò mi-

nus,

nās, nec nostra condonabūtur. docuit ergò nos Chri-
 stus orare, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos
 dimittimus debitoribus nostris: non vt nostra dimis-
 sione debitorum proximi, mereamur remissionē de-
 bitorum nostrorum. Vnus est Christus, qui pro pec-
 catis nostris mortuus est, & resurrexit propter iusti-
 ficationem nostram, Roman. 4. ille est agnus Dei qui
 tollit peccata mūdi, Ioan. 1. hic semetipsum pro no-
 bis obtulit, Galat. 1. Sed quòd nobis virtus passionis
 Christi, quæ tollit omnia peccata, non distribuitur
 nec efficax sit in nobis, nisi & nos dimiserimus pro-
 ximo debita. Ideò tunc certus es, quandò ex fide &
 amore Christi propter eius præceptum dimittis offen-
 sam proximo tuo, quòd tibi sint dimissa omnia tua
 debita: sin autem non dimiseris, nunquàm eris cer-
 tus de tuorum debitorum dimissione, neque tibi pec-
 cata tua remittentur: Nam illam causam quā tu præ-
 tendis, quòd non vis dimittere, habet & Deus erga te
 & quidem maiorem, vt tibi quoq; non dimittat: nec
 possibile est, vt homo verè credere possit, quòd Deus
 ipsi remittat peccata, qui ipsemet non vult remittere
 proximo: etsi Deus velit remittere debita, attamē re-
 uocaret propter duritiam cordis nostri, quòd etiam
 non volumus cedere & remittere, sicut patet in exem-
 plo Matth. 18. de seruo nequam, cui iam erant sua di-
 missa debita: sed quoniam ipse nolebat commisereri
 seruo suo, ideò eius debita redibant, & cogebatur
 soluere quod prius erat condonatum: hæc grauissi-
 ma est sententia. Insuper nouit Deus, quàm graue sit
 homini credere si quandò contra Deum peccauit, &
 Deus hoc gratis ex misericordia propter Christū ve-
 lit ei cōdonare, sicut in Cain videmus, qui dixit: Ma-
 ior est iniquitas mea, quàm vt remissionem merea-
 tur, Gen. 4. Ideò apposuit Deus hoc signum, per quod
 certo agnosceremus tunc esse delicta nostra remissa,
 quādo nos hominibus sua dimiserimus. Nam multò
 leuius

leuius

leuius est, nos condonare hominibus, qui non tantum in nos peccarunt, sicut nos in Deum, tamen Deus facilius est ad condonandum nobis, quam nos proximo. Habes itaque in hoc Dei verbum: si tu remittis proximo, & Deus iam magis paratus est tibi remittere. Quilibet homo coram Deo est peccator, & habet hic in terris inimicum etiam peccatorem contra se. Ideò facere debet cum debitore suo, sicut cuperet sibi fieri à Deo.

2. Perimus nobis dimitti debita, & non peccata: quia debitum se magis extendit, quam peccatum: Dicitur peccatum, quòdò iniuste facimus contra Dei preceptum: Debitum autem dicitur, quando bonum facere debemus, & non facimus, quòdò nò exoluimus, hoc quod Deo & proximo nostro debemus: vel etiam si fecerimus, non tamen facimus perfecte vel integre. Igitur quòdò iam peccatum propter fidem est dimissum, & facti sumus filij Dei, accepimus spiritum sanctum, qui iuuat nos certare contra peccata, & confortat ad bona opera, attamen adhuc non facimus perfecte quod facere tenemur, etiam si non aperte facimus contra eius mandata, quia tamen non facimus quæ tenemur, semper debitores manemus: & hoc debitum nobis dimittitur propter Christum, quando illum aut patrem propter hoc oramus, & quòdò proximo nostro indulgemus: semper enim debitores Deo manemus, id est, minus facimus quam debemus. Ex hoc apparet, quare nos nunquam per opera propria nostra possumus à peccato, morte & inferno liberari & iustificari: nam & bona nostra opera indigent indulgentia, quia non sunt perfecta, ideò oportet nos omnes per passionem & mortem, & resurrectionem Iesu Christi liberari: nam propter ipsius mortem & meritum promisit Christus nos liberari, non autem propter opera & merita nostra. Actorum, 10. capite: huic omnes prophetae testimonium perhibent,